

ita afficere valorem provisionis beneficii ut carentia simoniæ induat quodammodo naturam conditionis sine qua non. Idest simonia nullam reddit provisionem beneficii licet non committatur a collatore beneficii, seu in genere ab eo, qui partem habet, sive directam sive indirectam in collatione, nec pariter committatur a persona provisa de beneficio, sed committatur a tertia persona.

23. Hac in re Doctores nonnulla principia statuunt. Videlicet simonia commissa a persona tertia invalidat provisionem 1^o. quando ille in cujus favorem commissa est, ratam habet simoniam. *Cap. 33. h. t.*; 2^o. quando idem cognoscens simoniam, nec eam admittit, nec eidem positive contradicit; *cit. cap. 23. h. t.* Hinc si quis aperte resistat solutioni pecuniæ et crimini simoniæ in sui favorem patrat, non subjicitur pœnæ nullitatis provisionis. 3^o. Nocet simonia etiam ignorantibus, quando in eorum commodum fuit commissa; *cit. cap. 33.* quia attenditur factum simoniæ. At excipitur casus quo tertia persona simoniam admittat in fraudem provisi de beneficio. In hac enim hypothesi ne fraus et dolus alicui prosit, merito sustinetur provisio. Exemplum fraudis hoc est. Titius prævidet Cajum assecuturum fore aliquod beneficium, ut nullam reddat collationem pecuniam solvit. Hæc solutio pecuniæ non irritat collationem; *cap. 27. h. t.*

24. Secunda pœna est ut qui recipit simoniace beneficium non solum illud dimittere teneatur et fructus restituere, sed etiam fiat perpetuo inhabilis ad idem beneficium obtinendum. Hæc conclusio colligitur aperte ex cap. pen. *De elect. ex cap. 27. h. t.* Clare autem traditur in Constit. S. Pii V. *'Cum primum'* 3^a. in ordine Constitutionum ejusdem Pontificis.

25. Tertia pœna. Si attendatur tenor cit. Constit. simoniace provisos fit etiam inhabilis ad quælibet alia beneficia obtinenda. Sed doctores animadvertunt hanc pœnam juxta usum legitime præscriptum non observari neque urgeri posse in ipso foro conscientiæ, nisi præcesserit sententia judicis saltem declaratoria criminis simoniæ.

26. Quarta pœna simoniæ in beneficiis est ut simoniace provisos privetur per sententiam judicis quolibet alio beneficio, quod possideat. Ita Doctores juxta caput satis clarum 2. *De confessis.*

Dixi *'per sententiam judicis'* — nam locutio Pontificis indicat pœnam infligendam, non autem inflictam; sane ibi legitur *'beneficio et officio esse deponendum'*.

27. Quinta pœna est depositio a ministerio altaris, quæ tamen pœna non incurritur ipso jure, sed infligi potest ab auctoritate judicis. Ita in *cap. 11. h. t.* et in *can. 'Erga simoniacos' caus. 1. q. 1.*

28. Sexta pœna. In *Extrav. 'Cum detestabilis' h. t. 2. Inter comm.* tum contra collatorem, tum contra provisum simoniace de beneficio statuitur pœna excommunicationis latæ sententiæ. Pœna hæc renovata est in Const. *'Apostolicæ Sedis'* in qua inter excommunicationes latæ sententiæ Papæ simpliciter reservatas, sub n. 8. legitur inflicta excommunicatio contra *'reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque eorumque complices'*.

29. Septima pœna. Provisis de beneficio per ingressum simoniacum non prodest regula 36^a. Cancellariæ Apostolicæ de trienniali possessione. Regula hæc ita se habet: *'Si quis beneficium ex titulo nullo ob vitium occultum obtinuerit, et per triennium continuum illud pacifice possederit, non poterit ex illo exturbari, sed habetur tamquam legitimus possessor beneficii, quia ipsa triennalis pacifica possessio tenet locum tituli canonici ad beneficium obtinendum. Verum si possessor beneficii illud obtinuerit per ingressum simoniacum, triennalis possessio non prodest ei'*.

30. Quæritur utrum ad effectum triennialis possessionis idem sit dicendum de simonia admissa ab ipso possessore et de simonia admissa a tertia persona. Nonnulli auctores attendentes solum factum simoniæ, tradunt nocere etiam simoniam a tertia admissam persona. At magis veritati consona est sententia aliorum, qui tenent possessori haud nocere simoniam ab alio commissam, si ab ea ipse possessor fuerit extraneus. Nam in jure possessio non prodest, quando possessio vitiatur ex culpa possessoris ipsius. Hoc enim in casu præsumi nequit bona fides, sine qua legitima possessio non admittitur. Quare possessio absque personali debito possessori prodest. Allatum principium probatur ex Concilio Tridentino, quod alludens ad utilitatem derivantem ex possessione, tradit possessionem non suffragari Parochis et Canonicis, quoties distulerint emittere professionem fidei ultra bimestre, idest possessio non prodest, quando ex culpa possessoris illegitima reddatur. *Sess. 24. De Ref. cap. 12.* Hæc de pœnis contra simoniam in beneficiis dicta sint.

31. Quæritur utrum simonia eodem modo noceat quoad omnes pœnas expositas.

Profecto nullitas provisionis procedit ex simonia, sive ipsa committatur a recipiente beneficium, sive etiam ab alio. Duo solummodo casus excipiuntur. 1^o. Si in fraudem provisi a tertia persona fuerit commissa; 2^o. si provisu restiterit et impediverit eo modo, quo potuit, ne factum simoniacum poneretur. Hisce duobus seclusis casibus, provisio simoniaca de beneficio aliquo est semper nulla, quia intentio sacrorum canonum est ut prorsus arceatur a re beneficii simonia et pro æstimanda validitate provisionis legislatio canonica non magis respicit personalem culpam in simonia committendam, quam ipsum factum simoniacum, quod debet abesse ut valeat provisio de beneficio. Hinc nullitas provisionis non est tantum pœna criminis simoniæ quantum potius necessaria consequentia defectus conditionis.

At si sermo sit de proprie dictis pœnis ut sunt excommunicatio, inhabilitas ad beneficium simoniace obtentum, et ad alia beneficia etc. pœnæ hujusmodi non infliguntur absque personali crimine simoniæ. Quapropter nullitas provisionis inducitur etiam contra ignorantes, juxta superius dicta, reliquæ autem pœnæ eos tantum afficiunt qui simoniæ aliquo modo participes fuere.

32. Quæritur utrum quoties in provisione beneficiorum aliquid temporale interveniat, semper provisio uti simoniaca haberi debeat, et supra expositæ pœnæ locum habeant.

Profecto si aliquid temporale promittatur, et præstetur tacito vel expresso pacto aut motivo ut beneficium conferatur, vel præsentatio fiat, aut electio ad beneficium, nemo non videt veram simoniam locum habere. *Capp. 27. et 23. h. t.*

33. Dixi 'aut motivo' — nam damnata est propositio contraria ab Innocentio XI., quæ inter alias propositiones damnatas refertur hisce verbis sub n. 45. 'Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale'.

34. Simonia etiam verificatur quando præstatur aliquid temporale pro spirituali aut viceversa, ex titulo gratuitæ compensationis. Ita ex citata damnata propositione 45. quæ ita se habet in secunda parte 'Dare temporale pro spirituali non est simonia quando temporale sit solum gratuita compensatio aut e contra'.

35. Simonia autem non est si post acceptum beneficium ex grati animi sensu, aliquid temporale præstetur. Idem dicendum

viceversa, si post acceptum aliquid temporale, beneficium ex sola grati animi ratione conferatur, quia actus posterior non colligatur cum actu priori, media aliqua relatione pacti, conditionis, vel motivi, sed actus prior positus est pure et simpliciter absque ulla intentione procurandi actum posteriorem.

36. In resignatione autem beneficiorum simonia committitur 1^o. quoties verificatur pactum, conditio vel motivum, uti supra; 2^o. juris ecclesiastici saltem simonia committitur, si renunciatio fiat privata auctoritate et simul interponatur conditio, pactum vel modus. Ita ex tit. *De renunciatione*. Hinc simonia est si renunciatio fiat sub pacto, ut renunciarius resignanti expensas reficiat, quæ factæ sint in provisione beneficii.

37. Quid si sermo sit de permutatione beneficii? Sciendum est in ipsa locum habere simoniam saltem juris ecclesiastici, quoties fiat privata auctoritate, et præsertim si addatur pactum aliquod, vel conditio, ex. gr. si permutatio fiat inæqualium beneficiorum, et majus beneficium compensetur per aliquam portionem fructuum seu pensionis solutionem.

38. Quæritur utrum quis possit absque periculo simoniæ pecuniam solvere ad redimendam vexationem, idest ad removenda impedimenta et obstacula, quæ ab aliis injuste ponantur ut impediant vel juris assecutionem, vel juris exercitium.

Distinguunt Doctores tres hypotheses. Agi enim potest, 1^o. de redimenda vexatione contra exercitium juris plene habiti; 2^o. de redemptione vexationis contra assecutionem juris plenam seu beneficii; 3^o. de redimenda vexatione contra primam assecutionem juris seu beneficii.

39. Relate ad primam hypothesim, quando jus certo fuit acquisitum in beneficio, vel per electionem aut postulationem et confirmationem, vel per nominationem et institutionem, vel per liberam collationem, potest ad redimendam vexationem pecunia vel aliud temporale solvi, quin ulla suspicio simoniæ interveniat. Ita *cap. 28. h. t.* Quamvis enim solutio injusta sit, ita ut vexator injuste retineat sibi acceptam pecuniam, tamen Clericus, qui pecuniam solvit, revera simoniacus non est, quia per solutionem nihil aliud in jure suo acquisivit, hinc pecunia non solvitur pro jure spirituali, quod jam acquisitum supponitur, sed pecunia solvitur pro alia re temporali, nempe pro removendis obstaculis, quæ ex iniqua vexatione posita sunt.

40. Huc referri potest quæstio utrum Clerici possint persolvere actum obsequii erga auctoritatem civilem, ut ab eadem obtineant '*Regium placitum vel Regium exequatur*' in beneficiis, ex legitima concessione jam sibi pleno jure competentibus*). Sciendum enim est in aliquibus regionibus Gubernium exostulare ab Episcopis et Clericis diploma authenticum propriæ provisionis, ut illud muniant civili approbatione, antequam sacri muneris exercitium suscipiant, vel saltem antequam possessionem bonorum temporalium beneficii obtineant.

41. Procul dubio, qui exigunt hoc obsequium Clericorum injuste illud exigunt. Ipsi enim manus apponere nequeunt in re beneficii, et in rebus spiritualibus, nec in dubium ponere possunt concessionem beneficii et jurisdictionis canonicæ datam. Quare hæc exigentia Gubernii sæcularis considerari potest ceu injusta vexatio contra exercitium juris ecclesiastici plene obtenti. Ob hanc rei notionem viderentur Episcopi et Clerici diploma canonicæ concessionis offerre civili auctoritati ad obtinendum '*Regium exequatur*' omnimode posse; nam hæc oblatio induit indolem medii cujusdam ad redimendam injustam vexationem.

42. At nihilominus in genere non licet hoc obsequium submissionis præstare, quia per hoc obsequium ministri Ecclesiæ facto suo viderentur agnoscere dependentiam aliquam et subordinationem ipsius Ecclesiæ erga potestatem civilem in collatione beneficiorum, et in exercitio jurisdictionis spiritualis. Quamvis ergo liceat pecuniam solvere aut aliud temporale ad redimendam vexationem, non videtur in genere licere præstare obsequium petitionis '*regii exequatur*'.

43. Hoc dicendum est inspecta quæstione juris in genere. Nam calamitas temporum et agendi ratio civilis Gubernii potest ita revera statum in concreto immutare, ut nequeat Clericis prohiberi, quominus ad vitanda majora mala, obsequium cujusdam submissionis potestati laicæ exhibeant. Factum est enim ex agendi ratione alicujus præsertim Gubernii, ut nisi ab auctoritate ecclesiastica Clericis concederetur facultas petendi '*regium exequatur*' ordo et disciplina Ecclesiastica subverteretur. Nam Paroecia absque Plebano, chorus absque Canonicis remaneret, et Diocesis facile

*) Vide Cavagnis Jus publicum Eccles. lib. III. cap. I., quo hujus abusus originem, vicissitudines et injustitiam fuse exponit.

Episcopo suo privaretur. Quare ob obstinatam voluntatem Gubernii subintrat ratio vitandi majus malum, ob quam rationem Pontifex concedit facultatem exposcendi '*regium exequatur*'. Et quidem si de minoribus Clericis et Beneficiis sermo sit, habemus praxim Apostolicæ Sedis, qua cautum est, istos Clericos non esse inquietandos, si a sæculari potestate postulent '*regium exequatur*' pro pacifica possessione beneficii, sive illud sit simplex, sive sit duplex.

44. Relate ad Prælatos, seu Episcopos et Abbates nullius cum jurisdictione quasi Episcopali Sancta Sedes nullam dedit regulam, pro locis in quibus ratione Concordati non adsit speciale jus. Pro Italia autem in specie servatum est contrarium fere usque ad præsens tempus. Sed res immutata est per decisionem Supremæ Inquisitionis diei 2. Novemb. 1876, in qua dictum est '*Tolerari posse*' ut etiam Episcopi alique Prælati Ecclesiarum '*Regium exequatur*' exostulent a civili Gubernio. Hæc dicta sint de redimenda vexatione in exercitio juris jam plene acquisiti.

45. Nunc ad secundam *hypothesin*. De redimenda vexatione, quoad acquisitionem primam juris, ex. gr. per electionem, vel per nominationem, et quoad acquisitionem plenam juris, quæ fit per collationem, confirmationem, vel per institutionem canonicam.

46. Inprimis autem animadvertimus utramque assecutionem fieri posse per *actum collegialem*, vel per *suffragia personarum singillatim* sumpta. In secunda hypothesi simonia commissa cum una persona, non inficit ipsam assecutionem. Nam actus singularis simoniacus seipsum vitiat, non autem actum aliorum. At si actus sit collegialis simoniacum suffragium unius afficit actum integrum totius collegii, quia actus unius personæ non potest seorsim considerari, sed est pars solidalis totius. Quare vitium in uno suffragio inficit ipsam assecutionem, vel primam vel plenam juris, et per consequens simonia ab uno de gremio collegii commissa, reddit simoniacam ipsam resolutionem collegii.

47. Hisce positis dicimus non licere neque pro prima, neque pro plena assecutione juris aliquid temporale solvere ad redimendam vexationem. Nam, quoniam jus adhuc non possidetur, solutio per se inspecta dicit relationem ad obtinendum jus ipsum, et per consequens videtur subingredi comparatio inter jus spirituale assequendum, et rem temporalem. Cap. 23. h. t.

48. Ut autem magis specifica solutio detur, distinguunt doctores modum, quo ille, qui vexationis causa est, influere possit in actum

Si quidem aliquis obesse potest et prodesse, aliquis solummodo obesse. Ille obesse potest simul et prodesse, qui est revera collator beneficii, vel patronus; vel si de actu collegiali sermo sit, potest suffragium suum dare, vel e contra negare suffragium suum, et alios impedire, ne Clericus ab aliis nominetur vel eligatur. Obesse autem tantum potest ille, qui facto suo impedire potest quominus Clericus a collatore beneficium obtineat, vel nominetur vel eligatur. Procul dubio simoniacum est pecuniam solvere, vel aliud temporale exhibere ad redimendam vexationem positam ab eo, qui obesse simul et prodesse potest, quoad primam vel plenam assecutionem beneficii, vel alterius juris, quod nondum obtentum erat.

Nam licet pecunia dirigatur ad redimendam vexam, tamen realis et verus scopus est flectendi voluntatem collatoris, vel alterius, qui partem directam habet in concessione juris simulque obtinendi jus spirituale, interveniente re temporali. Hinc in cap. 23. h. t. confirmatio vitio simoniaco infecta dicta est, quia pecunia data fuerat principi discordiæ ut taceret vel desisteret ab oppositione, qua in re poterat obesse resistendo electioni, et etiam prodesse poterat sese favorabilem exhibendo in processu, quem Metropolitanus conficere solebat antequam confirmationem concederet.

49. Quodsi quis posset solummodo obesse, non autem prodesse, tradunt Doctores injustam et irrationabilem vexam posse redimi facta solutione pecuniæ vel præstatione alicujus rei temporalis sive agatur de beneficii vel juris prima assecutione, sive agatur de plena acquisitione juris, aut beneficii. Ex. gr. si quis vi vel fraude detineret electorem ne suffragium daret, vel si calumnias in vulgo spargeret contra personam eligendam, poterit pecunia solvi, ut hic injustus vexator absteineat a vexatione facienda. Nam pecuniæ solutio vel præstatio rei temporalis, non dirigatur ad obtinendum jus spirituale, quia vexator positive nec conferre jus potest, nec disponere et præparare assecutionem juris, sed dirigatur proprie ad removendum obstaculum injuste oppositum. Quare comparatio fit inter impedimentum oppositum et rem temporalem. Et sane ex eo quod injusta vexatio illius, qui solummodo obesse potest tollatur, non inde sequitur positiva assecutio juris. Nam non erat vexator qui poterat conferre vel concurrere in collatione juris. Sublata etiam vexatione, qui jus habent vel eligendi, vel conferendi etc. adhuc possunt denegare proprium suffragium vel collationem etc. ei qui pecunia vexam redemit.

50. Accedit et alia ratio. Cuique præsto est et competit legitima facultas impediendi injusta molimina contra seipsum parata, suumque jus et bonum nomen protuendi, ab iniquis calumniis contra seipsum objectis vel objiciendis. Hic autem scopus obtineri potest vel invocando auctoritatem publicam, vel pecunia mulcendo adversarios. Nemo condemnabit eum, qui ut molestias et incertos judicii exitus devitet, ab iniquis machinationibus vel calumniis parandis adversarium pecunia removet.

De pœnis contra simoniam confidentialem.

51. Quæ hucusque dicta sunt de pœnis contra simoniacos respiciunt simoniam realem. Simonia confidentialis sequentibus pœnis plectitur, quæ in Constitutione '*Romanum Pontificem*' S. Pii V. statuuntur. 1^o. Pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Porro hæc censura renovatur in Constit. '*Apostolicæ Sedis*' in qua inter excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatas, sub n. 9. legitur excommunicatio contra '*Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis*'.

52. 2^o. Simonia confidentialis punitur pœna privationis beneficii, circa quod commissæ est simonia, sed etiam aliorum beneficiorum vel pensionum legitime assecutarum. Conveniunt tamen Doctores pœnam privationis aliorum beneficiorum etc., non obligare ante sententiam declaratoriam judicis. Quia pœnæ etiam ab ipso jure latæ, sed requirentes externam executionem, non obligant neque in conscientia ante sententiam judicis, nisi aliter lex sufficienter caverit.

53. 3^o. Simonia confidentialis punitur inhabilitate ad idem beneficium, et ad alia obtinenda.

54. 4^o. Beneficium acceptum in confidentia est reservatum Romano Pontifici. — Hæ sunt præcipue pœnæ contra simoniam confidentialem statutæ, quæ tamen vim exercent et obligant, non solum in reali, sed etiam in conventionali mixta simonia, idest quoties etiam ex una solum parte conventio simoniaca impleta fuerit. Ex. gr. si Episcopus alicui contulerit beneficium et alius acceptaverit sub ea lege ut teneretur post quinquennium idem beneficium resignare consanguineo Episcopi ipsius, est locus simoniæ, licet resignatio nondum fuerit secuta. Nam S. Pius V. in